

vimus. Sancta Trinitas fraternitatem nostram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudines ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Scriptum per manum Zachariæ Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembri. Indictione XIII.

9.

872 i Nov.

Påfv. ADRIANUS II:s stadfästelse på stadgandét för Ärke-B. RIMBERT att de Nordiska folkslag, som han omvänder, skola lyda under hans Ärke-Biskopsdöme, och fullmakt för honom att vara Påfl. Legat i Norden.

ADRIANUS Episcopus, servus servorum Dei, beatissimo Reymberto sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo æternam benedictionem. Quum Apostolicæ dignitatis est, non solum Ecclesiam fundare, sed & ab aliis Ecclesiarum architectis spiritualibus fundatas sublimare, dignum duximus, frater Charissime, pro petitionis tuæ voto aures debitas benignitatis tuæ inclinare. Concedimus igitur tibi, sicut a prædecessoribus nostris B. Gregorio & Nicolao concessum est, scilicet ut gentes Wimodiorum, Norblingorum, Danorum, Norvenorum, Suenorum, vel quascunque Septentrionalium nationum jugo fidei prædicatione tua subdideris ad sedem Hammaburgensem spirituali devotione possideas, & omnibus successoribus tuis, ad eandem sedem perpetuo possidendas relinquant. Legatum quoque nostrum te per omnia Septentrionalia regna constituimus omnibusque supradictarum nationum episcopos præsentis & amplius profuturos, cum subjectis sibi plebibus tibi, & omnibus successoribus tuis ad sedem Hammaburgensem usum pallii habendum in festis & temporibus a prædecessore nostro tibi denominatis, scilicet in pascha, in pentecoste, in natali Domini, in assumptione, in nativitate, in purificatione sanctæ Mariæ, in natalitiis Apostolorum, in dominicis diebus, & in omnibus festis in diœcesi tua celebribus, ornari quoque caput tuum mitra, portare ante te crucem, præterea tibi & sanctæ Hammaburgensi Ecclesiæ & omnibus successoribus tuis, auctoritate Apostolica firmamus, quæcunque Ecclesiæ tuæ jam a Christieolis tradita sunt, vel amplius delegata fuerint, in parochiis, in prædiis, in omnibus rebus mobilibus & immobilibus, in mancipiis utriusque sexus, ut ea Ecclesia prædicta inviolabili potestate perpetuo possideat. Si quis autem, contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire temptaverit, & quoquo modo in parte vel toto in frangere nisus fuerit, cujuscunque potestatis vel dignitatis sit, æterna excommunicatione cum Juda traditore Domini pereat, nisi resipiscat, & Ecclesiæ Hammaburgensi satisfaciat.

Observator autem hujus nostræ ammonitionis & jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei, beatorumque Apostolorum, & nostram, qui eorum fungimur vicariatione. Sancta Trinitas fraternitatem tuam omni tempore conservare dignetur incolumen, atque post hujus Seculi amaritudinem, ad perpetuam ducat beatitudinem. Scriptum per manum Gregorii Notarii atque scriniarii sancti palatii, in mense Novembrio Indictione V. Data per manum Johannis Cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, peractis missarum celebrationibus ante altare beati Petri Apostoli.

I O.

891 i Maj.

Påfv. STEPHANUS VIs fullmakt, jemte Pallium, för ADALGARIUS att vara Ärke-Biskop i Hamburg efter RIMBERT.

STEPHANUS Episcopus, servus servorum Dei, Reverendissimo & sanctissimo Adalgario sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo & confratri meo, & post te in eadem Ecclesia in perpetuum. Cum piæ desiderium voluntatis & laudandæ devotionis intentio Apostolicis sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ legaliter geruntur, & æquitatis formæ convenient, nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabili jure, Deo auctore, debent permanere, & ob hoc Apostolicis promulgatis sanctionibus, propria unicuique, quæ rationi suppetunt possidenda, fas exigit confirmari, & quem postulasti, ut privilegium tuæ faceremus Ecclesiæ, & Apostolica tuitione roboravisset, eandem in pristinum totum manere concedimus, & Apostolico jure firmamus, tibi tuæque sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ successoribusque tuis illam dignitatem, & fines proprios cum prædiis omnibus & parochiis, & omnibus rebus mobilibus & immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus possidere & tenere, quum piæ memoriæ Gregorius antecessor noster, Ansgario antecessori tuo, quem Archiepiscopum ordinavit in Ecclesia tua, concessit, stabilito scilicet jure, & Ludovicus ejus filius tuam voluerunt habere Ecclesiam & Imperiali definierunt potestate. Decernimus autem, ut potestatem habeas ordinandi Episcopos infra tuam parochiam & diocesin, ita tamen, ut sub tua, tuæque Ecclesiæ salva dignitate, ipsius maneant potestate. Si quis autem contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire temptaverit, & quomodo, in parte, vel in toto frangere nisus fuerit, sit excommunicatus a corpore & vivifico sanguine Domini nostri Jesu Christi & sanctæ Dei Ecclesiæ aditu & conventionem separatus. Observator autem hujus nostræ admonitionis & jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei beatorumque Apostolorum, & nostram, qui eorundem fungimur vicariatione. Scriptum per manum Johannis Secretarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In mense Majo. Indictione undecima.